

Franz Albert Aepinus

**Programma Pentecostale, quo Spiritum Sanctum ceu Spiritum Gloriam Et Dei  
Super Fidelibus Reqviescentem : ex I. Petr. IV. 14.**

Rostochii: Typis Johannis Jacobi Adleri, [1736?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004019890>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

---

1736. Pfingsten.

~~M-1256.~~<sup>238.</sup>

H. 1736

PROGRAMMA PENTECOSTALE,  
quo  
SPIRITUM SANCTUM  
ceu  
SPIRITUM GLORIÆ  
ET DEI  
SUPER FIDELIBUS REQVIE-  
SCENTEM,

ex i. Petr. IV. 14.

CIVIUM ACADEMICORUM

facris Festoque huic congruis meditationibus,  
tam theoreticis, quam practicis,  
fistit

ACADEMIÆ VARNIACÆ RECTOR,  
FRANC. ALBERT. ÆPINUS,

S. S. Theol. D. & Prof. Ducal. Publ.  
ejusdemque Facultatis hod. Decan.  
Confist. Ducal. Mecklenb. Confil.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS JACOBI ADLERI, SERENISS. PRINCIPIS  
ACAD. Typographi.

M. 1256 238



**P**iritus Sancti, quod Pentecostes vulgò vocatur, Festum Ecclesiâ hodiè celebrante, conveniens erit, **CLAVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI!** pias etiam nostras in Eum convertere meditationes. Idque tantò magis, quantò plura, quantoque majora abs eodem in nos, citra meritum nostrum, beneficia proficiscuntur, quò no-

stram erga ipsum obligationem & officia ei debita non agnoscamus solum, sed etiam, illius ipsius ductu & in nobis operatione, præstare studeamus. Cujus utriusque vel sola nos admonent, quæ passim Scripturarum ipsi tributa leguntur & nomina, & attributa, & opera, quorum hæc & ista illorum fundamentum & ratio sunt, utpote quæ denominationes istiusmodi peperere; quapropter & mutuam inter sese relationem habent. Nam uti nomina vel attributa, vel opera Spiritus Sancti, vel utraque nonnunquam conjunctim, designant & exprimunt; sic attributa & opera nomina illa declarant. Amplissimus planè se nobis heic aperiret dicendi campus; si vel sola hæc undique Scripturarum collecta nomina, cum eorum expositione, recensere nobis integrum foret: id quod autem cum præsentis generis scriptio non permittat, placet hac vice sacris hodiernoque Festo non incongruis meditationibus nostris illud substernere, quando *I. Peir. IV, 14.* dicitur: *SPIRITUS GLORIÆ super fidelibus requiescens;* quippe

quippe quod, quoad sonum, ceteroquin rarius occurrit, & vel unico hoc in loco tantum expressè legitur.

Quanto tam infideles Judæi, quam Gentiles opere studuerint, viresque suas omnes intenderint, ut, sicuti discipulis suis ipse Christus *Job. XV. 20.* *Si me persequuti sunt, etiam vos persequentur*; prædixerat, Christianos, cum primis posteaquam hoc eorum nomen ex Antiochia urbe, *Act. XI. 26.* in orbem emanaverat, varii generis persecutionibus, ac injuriis, tam realibus, quam personalibus, impeterent, ignotum esse non potest, nisi quis Apostolorum Acta nunquam perlegerit, & in Historiâ Ecclesiasticâ planè sit hospes. Qualia cum etiam paterentur fideles illi Christi confessores, ad quos epistola hæc directâ, electi nimirum peregrini dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, *Cap. I. 1.* noluit Apostolus iisdem suis deesse consolationibus, sed potius ad patientiam, constantiam, spem & fiduciam ipsos cohortari, argumentis usus, contextu docente, pluribus quorum, si non præcipuum, haud certe postremum ducendum, quod super iis *Spiritus gloriae & DEI requiescat*, ex quo se beatos æstimare possint. *Εἰ ἀνειδίξετε, scribit, ἐν ὀνόματι Χριστοῦ, μακάριοι, ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τῆς θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται.* *Si probris afflicti mini ob nomen Christi, beati, quia Spiritus gloriae & DEI super vobis requiescit.* Non requirit præsens hic noster scopus, integri hujus loci tradere expositionem: alioquin enim inquirendum foret: utrum particula *εἰ* hîc loci conditionaliter usurpata sit; an verò causalem & assertivam, uti *Matth. VI. 30. X. 25. Rom. V. 10.* alibique sumitur, habeat significationem? Quorum posterius procul dubio asserendum, cum Petrus non solum jam antea *v. 4.* blasphemiarum, quas infideles isti homines eructabant, meminisset, verum etiam optime novisse poterat, qualia tum fideles, Christi nomen professos, fata manerent. Observandum esset, præpositionem *ἐν*, in verbis: *ἐν ὀνόματι Χριστοῦ*, positam esse pro *diâ propter*; ob, uti *Matth. VI. 7.* battologiam in precibus amantes, se *ἐν πολυλογία, propter* multiloquium, exaudiri iri, putare dicuntur; vel, uti *Eph. I. 4.* electi dicimur *ἐν Χριστῷ*, & *v. 6.* grati facti *ἐν τῷ ἡγαπημένῳ*, i. e. *per seu propter dilectum illum, Christum.* Hoc namque postulat non solum *v. 16. h. Cap.* Apostolo monente, sermonem sibi esse de afflictis, *ut Christianis*; sed & ipsa

ipsa persecutionum harum prædictio Christi, *Job. XV. 21.* dicen-  
 tis: *Hæc omnia facient vobis διὰ τὸ ὄνομα μου*, propter nomen meum, &  
 ideò, quod Christiani estis & vocamini. Ulterius notandum ef-  
 fet, quando propter nomen Christi afflicti & convitiis affecti  
 simpliciter *μαρτύροι*, beati dicuntur, sine verbo substantivo tem-  
 poris cujuscumque apposito, Vulgatam, quæ dicitur, versionem  
 addere futurum: *eritis*; quemadmodum & postea in futuro dicit:  
 Spiritus DEI in vobis requiescet; in eo, citra dubium, respectu,  
 quod afflictionum ejusmodi passionem ac tolerantiam causam  
 beatitudinis æternæ credit Ecclesia Papæ. Sed potius intelli-  
 gendum est verbum præsentis temporis, quod scilicet ob nomen  
 Christi patientes & opprobriis affecti jam hic beati sint atque  
 beatitudine gratiæ gaudeant, cum spe certissimâ futuræ gloriæ,  
 tanquam mercedis in cælis multæ, ab ipso Christo illis promissæ,  
*Matth. V. 11. 12.* Nam, Apostolum ex ore Magistri sui hoc hau-  
 sisse pronunciatum, dubitandi causa non est, ut, eum ex hac  
 ipsâ ratione fideles, qui, quod passionum Christi consortes sint,  
 in materiam gaudii convertant, hortatum esse, taceamus. Nec  
 denique prætereunda nobis foret à Græco textu diversa & ab  
 Apostoli mente remota Vulgatæ hujus integri dicti lectio: *Si*  
*exprobrantur in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, glo-*  
*riæ & virtutis DEI, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescet.* Qui-  
 bus fortassis respectus habitus fuit ad Paulinum illud *Rom. II. 6.*  
*7. 10.* ac ad futuram cœlestem beatitudinis æternæ gloriam: qua-  
 propter & verbis, ceu modò dictum, futuri temporis hîc uti ma-  
 luit Auctor illius, cum & in Græcis quibusdam codicibus futu-  
 rum *ἀναπαύσεται* reperitur; quanquam in exemplaribus post  
 Concilium Tridentinum impressis, relicto tamen mox allegato  
 textu, in margine hæc ita sint expressa: *Gloria, DEI Spiritus in*  
*vobis requiescit;* & tandem rectius atque originali textui conveni-  
 entius: *Gloria & DEI Spiritus in vobis requiescit.*

At mittamus ista, quorum præcipuus in præsentis scopus  
 est, ex hoc loco Spiritum S. ceu Spiritum gloriæ & DEI, su-  
 per fidelibus requiescentem, considerare. Spiritum S. autem,  
 tertiam S. S. Trinitatis personam, heic innui, multâ non opus  
 habet inter nos probatione. Observare tamen licet, admodum  
 variam (ut in editione Nov. Test. Græci, studio JO. MILLII, &

accesi-

accessionibus novis LUDOLPH. KUSTERI locupletatâ, videre est ) diversis in Codicibus inveniri loci hujus lectionem, unde & à Veteribus eum diversimodè deprehendimus excitatum, adeò quidem, ut, num de Spiritu S. heic sermo fit? dubium reddi posse videatur, quando CYPRIANUS *Epist. LVI.* juxta editiones JAC. PAMELI, & NIC. RIGALTI; vel ut aliæ numerant *Lib. IV. Ep. VI.* quæ est ad *Thibaritanos*, similiter & in *Libro de Exhortatione Martyrii, ad Fortunatum Cap. IX.* dictum nostrum allegans his ipsum verbis exhibuit: *Beati estis, quia majestatis & virtutis Domini nomen in vobis requiescit.* Sed benè PAMELIUS *Annot. ad Ep. LVI. num. 8.* non solum; *mirum est,* scribit, *quomodo legat,* majestatis & virtutis DEI nomen, *nisi forte legerit: ὄνομα,* pro eo, *quod Grace hodie legitur: πνεῦμα,* i. e. Spiritus; sed & NIC. ZEGERI judicium approbat, *exemplaria videri hïc semper variasse.* Quamtamcunque verò deprehendamus varietatem lectionis; nulla tamen ulla sufficiens causa subest, cur, consvetâ & ordinariâ nostrâ posthabitâ, aliam rariùs occurrentem & velut extraordinariam ei præferamus. Quamobrem neque curamus, quod HUG. GROTIUS annotare placuit, *veram lectionem esse τὸ τῆς δόξης καὶ δυνάμεως, τὸ τῆς Θεῆς πνεῦμα;* addito: *Hunc Spiritum (DEI) autem appellat & glorie, id est, gloriosum, ut hic recte accipit Syrus, & potentie, id est, potentem valde atque efficacem.* Nam benè jam hisce CALLOVIUS *Bibl. Illustr. h. l.* regeffit, sive hanc sequamur, sive illam retineamus lectionem, *eundem emergere sensum, si particula καὶ ἐξηγητικῶς accipiatur.* Nam Spiritus ille gloriæ, qui nobis gloriâ affert, atque eam etiam in ipsis passionibus in nobis obsignat, estque ipse DEUS gloriæ, est Spiritus DEI. Quî verò ac cur Spiritus DEI dicatur ipse? neminem Christianorum, autumo, fugere posse. Quemadmodum enim Filius DEI dicitur, quoniam à DEO Patre ab æterno ex essentia ipsius genitus, & ab eo, ad redimendum genus humanum, in mundum missus; ita & Spiritus S. Spiritus DEI est & dicitur, quoniam à Patre Filioque ab æterno, tanquam tertia S. S. Trinitatis persona, procedit, ac ad corda hominum sanctificanda mittitur, essentiâ unus idemque numero cum Patre Filioque DEUS, i. *Job. V. 7.* Sed undenam ille Spiritus gloriæ appelletur? inquirendum etiam erit. Id quod tamen non minùs facili negotio exponi posset, nisi *Henr. HAMMONDO Annotat. in Nov. T. h. l.* difficultatem circa vocabuli



*δόξης* significationem necesse placuisset, sicut is & alioquin no-  
 dum in scirpo quærere, ac opinionibus singularibus, in inter-  
 pretatione Sacrarum literarum indulgere, volupe sibi duxit.  
 Quandoquidem enim Substantivum Δόξα à Verbo δόξαι, quod  
 etiam *videri* denotat, derivatum, voces δόξα, scribit, significari id  
 quod *Judæi vocant שכינה*, seu adparitionem DEI per Angelos, aut qua-  
 cunque aliâ ratione. Hinc, mentem suam clariùs explicaturus,  
 addit: Significat etiam eximiam illam DEI ἐπιφάνειαν, ut dici solet,  
 qua DEUS adparuit in Christo incarnato hęc in terris, cum allegatione  
 loci *Joh. I. 14.* Sic *Ἔ*, pergit, *2. Cor. IV. 6.* Gloria DEI in facie  
 Jesu Christi, est gloria divina, qua se in Christo in terris conspiciendam  
 præbuit. Atque sic etiam h. l. Spiritum gloria vult intellectum.  
 Idem hęc, inquit, omnino videtur eâ voce significari, aded ut τὸ τῆς  
 δόξης designet conditionem Christi in terris; cum quo rectè conjungitur  
 ἀνεύμα τῷ Θεῷ, nam Christus est DEUS in æternum benedictus, & signi-  
 ficatur etiam illis verbis æconomia Christi in terris versantis. De quibus  
 autem JOH. CLERICUS in *Animadversion. h. l.* benè rectèque ju-  
 dicat, coacta hæc omnia esse; quanquam & hujus ipsius expositio-  
 nem, qua Spiritum gloriæ ad solam Evangelio prædicato, per  
 miracula patrata, partam gloriæ restringere videtur, simpliciter  
 probare nequeamus. Nec est, qui prolixi sumus in sententia  
 Hammondianâ refellendâ, cujus, præterea, quod eidem funda-  
 menti loco substernitur, argumentum, cum merè etymologi-  
 cum sit, suam ipsummet prodit infirmitatem. Et τὸ δόξαι s. *vi-*  
*deri* non de iis tantum, quæ in oculos occurrunt, verum etiam  
 quæ menti illabuntur, dicitur, quemadmodum & τὸ *videre* per  
 Metaphoram de anima prædicatur. Sic igitur ἡ δόξα rectè ver-  
 titur *gloria*, ut intelligatur honor, fama, splendor, magnifica  
 æstimatio alicujus, & opinio honorifica de illius virtute, excel-  
 lentia, dignitate, Majestateve. Hæc enim talia sunt, quæ con-  
 spicuum aliquem reddunt, animos aliorum afficiunt, atque  
 præclaram de eo suscitant opinionem. Atque sic in Novo Te-  
 stamento vocabulum δόξα, sicut alibi, ita & in hoc loco Petrino  
 sumendum esse, res ipsa condocet. Meritò namque Spiritus S.  
*Spiritus gloriæ* dicitur, idque duplici in respectu; cum absolute in se;  
 tum relativè, ratione operationum & effectus in fidelibus. In se  
 quando spectamus Spiritum S., est i le vocaturque

turque *Spiritus gloria*, i. e. gloriosus, imò gloriosissimus, quoniam cum Patre ac Filio est unus ille verus, summus, æternus ac infinitus DEUS, Creator ac Conservator omnium, ejusdem immensæ sapientiæ, omnipotentæ, excellentiæ, Majestatisque, cui æqualis & idem cum illis cultus religiosus, æqualis honor atque gloria debetur, DEUS in secula benedictus. Id quod hîc loci probari, supervacaneum ducimus, imperscrutabilis illius S. S. Triados Personarum in essentiæ divinæ unitate mysterii, non hostibus, sed confessoribus, in præsentî scribentes. *Relativè* verò dicitur *Spiritus gloria*, quatenus eorum omnium, quæ veram Christianis gloriam conciliare ac afferre queunt, secundum Scripturæ pariter ac Theologiæ usitatam appropriationem, prima est ac principalis causa. Nihil enim quidquam vel à nobis ipsis habemus, vel in nobis est, de quo coram DEO gloriari possemus, 1. Cor. I. 29. Sic enim dicit Dominus: *Ne gloriatur sapiens de sapientiâ suâ, neque gloriatur fortis de fortitudine suâ, neque gloriatur dives de divitiis suis: Sed de hoc gloriatur, qui gloriatur, intelligere & nosse me, quod ego Jehovah, faciens misericordiam, Judicium, & justitiam in terra; nam, his delector, dictum Jehovah, Jerem. IX. 23. 24.* Quicquid igitur donorum spiritualium, quibus DEUS delectatur, & unde unicè nostra, in Christo, coram DEO gloria dependet, nobis obtingit, sive sanctificantia fuerint, sive ministrantia, quæ dicuntur, hoc omne Spiritui S. debetur, qui proinde nobis etiam est *Spiritus gloria*, i. e. glorificationis nostræ, veram nobis conferens, quæ coram DEO valet, gloriam & gloriationem. Non est chartula hæc omnium horum singulorumque deductionem pleniorè permittenda: quare, quantum ad sanctificantia dona attinet, conferri possunt loca, Rom. I. 4. XV. 16. 1. Cor. XII. 3. 2. Cor. IV. 13. Gal. V. 22. 1. Thess. V. 23. Tit. III. 5. 6. de ministrantibus autem vel unicum iussu allegasse locum 1. Cor. XII. 4. - 12. Ex quibus asserti veritas sole clarius elucescere potest, Spiritum S. ut in se gloriosus est, ita & relativè, ac effectivè causam esse nostræ coram DEO glorificationis.

Atque de hoc Spiritu gloriæ prædicat Petrus, quod *super fidelibus requiescat*. Immediatè quidem & expressè de iis illud pronunciat, qui, non ob qualemcunque causam, aut culpam propriam

priam, (nam v. sequ. 15. diserte hortatur : *Ne quis vestrum patitor, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut ut aliena curans;*) sed ob nomen Christi mala patientes probris afficiuntur; at eadem hic fidelium Christi confessorum omnium est ratio. Quicquid etenim ob Christi nomen persecutiones patitur, & opprobriis affici se, tolerat, eum sanè Christum ceu Dominum suum agnoscere oportet, cum alioquin talia perpeffurus non esset. Non enim de hypocritis hic loquimur, si qui fortean eorum etiam aliquid mali propter Christum inviti sustineant, nec de *προσκαρποις*, & radicem non habentibus, qui ad tempus credunt, verum in tempore tentationis deficiunt, *Luc. IX. 13.* sed de iis, qui non ore solum confitentur Dominum JESUM, verum etiam corde in eum credunt, *Rom. X. 9.* proptereaque, quando tentationibus variis circumdati, omne gaudium existimant gloriamque, *Jac. I. 2. Eph. III. 13.* Super his cum requiescere dicitur Spiritus S. idem insinuat, quod Paulus, Eum in fidelibus, velut in templo, habitare, dicens, *1. Cor. III. 16. 2. Cor. VI. 16.* quæ verò inhabitatio fidem in illis, in quibus habitat & super quibus requiescit, præsupponit, tanquam vinculum, quo mediante homo cum eo conjungitur & unitur, *Eph. III. 17.* Facessant igitur, qui Pontificiorum, hanc requiem Spiritus S. qualitatem inhærentem inferre, quâ homo formaliter coram DEO justificetur, contendunt. Præterquam enim, quod formalis ratio justificationis in remissione peccatorum ac imputatione justitiæ Christi fide apprehensæ consistit, *Rom. IV. 5. 6. 7. 8.* inhabitatio Spiritus S. in fidelibus & requies super illis justificatione naturâ posterior, & ejus consequens est. Num enim sanctissimus ille Spiritus cum peccatore, qua tali, DEOque per fidem nondum reconciliato se uniret? *Quæ namque participatio justitiæ & injustitiæ: Quæ vero communitio luci cum tenebris? Quæ concordia Christo ad Belialem?* *2. Cor. VI. 14. 15.* Sed hæc, cum dudum jam alibi, quantum satis, disputata & evicta sint, in præsentii mittimus, non satis ducentes, Spiritum S. ceu Spiritum gloriæ & DEI super fidelibus requiescentem spectasse ac cognovisse, sed hoc etiam acturi, ut partam per illum nobis coram DEO gloriam condignè æstimemus, quidque vicissim nostri sit erga eum officii, inquiramus, ac omni tempore ipsi præstare conemur.

Quanta

Quanta sint, quibus gratia Spiritus S. nos ornat dona, quæ sola nostra sunt, eaque unica duntaxat vera, coram DEO gloria, ex allegatis supra Scripturæ locis colligi sine multo negotio potest, quorum tamen omnium, ut crebrius ea nobis in memoriam, gratitudinis ergo, revocemus, quasi compendium exhibebimus, Gal. III. 26. 27. inveniendum, Paulo scribente: *Omnes enim filii DEI estis per fidem in Christo Jesu. Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* En! Christum induimus in Baptismo: Baptismus operatus est in nobis fidem: per fidem autem filii DEI sumus: *Si vero filii, etiam heredes, heredes quidem DEI, coheredes autem Christi, siquidem simul patimur, ut simul etiam glorificemur, Rom. IIX. 17.* Quanta non hæc est coram DEO gloria nostra? Eam autem omnem Spiritui S. nos debere, docet nos Salvator noster, Job. III. 5. asserens, *ex aquâ & Spiritu nos regenerari, nempe in Filios DEI.* Condocet Paulus Tit. III. 5. 6. 7. Baptismum describens per *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem (DEUS) effudit super nos opulenter per Jesum Christum, Servatorem nostrum, ut justificati ipsius gratiâ heredes simus secundum spem vitæ æternæ.* O igitur felices, & terque quaterque, quin æternum beatos, super quibus Spiritus ille gloriæ & DEI requiescit! Nam & hîc in afflictionibus, quas patiuntur, dummodò non propter facinora patiantur, efficacem ejus consolationem persentiscent, & quantum ad futurum, illius testimonio certiores fiunt, *quod non digna sint passiones præsentis temporis respectu gloriæ, quæ futura est, ut reveleitur in nos, Rom. IIX. 18.* Quodque momentanea levitas afflictionis nostræ mirè supra modum æternum pondus gloriæ nobis operetur, 2. Cor. IV. 17. Hæc igitur, CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI! sacris per præsens Festum meditationibus nostris subternamus, tam altè menti cordique ea infigentes, ut per omnem vitam tam excellentium donorum, quibus fideles Spiritus gloriæ super iis requiescens beavit, omni-que tempore beat, memores quotidie simus, quò nostra ei vicissim officia eò lubentius, eòque promptius præstemus. Quænam illa sint, prolixius exponere, nunc equidem concessum mihi non est, & eò brevior in illis tradendis esse poterò, quo certius expectare possumus, à Verbi divini Præconibus eadem hisce diebus latius nobis propositum iri. Non tamen possum

B

non,

non, quin saltem duorum, vel binis, injiciam mentionem. Primum, & reliquorum omnium veluti fons, est, quod ipsa lex gratitudinis nobis præscribit. Nam beneficiarium benefactori gratias debere, neminem fore, reor, qui temerè ignoraverit: quòque majora sunt in nos collata beneficia, eò majores ad grates pro iisdem habendas obstrictos nos esse, unicuique judicatu facillimum est. Quam ergo præstantia, quam excellentia, quam gloriosa dona nobis non afferat solùm, sed &, si fide acceptamus, conferat Spiritus gloriæ & DEI super fidelibus requiescens, quibus nihil melius, nihil jucundius, nihil præstantius & excellentius vel expeti, vel donari potest, cum perceperimus, qualem ipsi vicissim quantamque gratitudinem debeamus, vel me tacente, quilibet intelliget agnoscetque. Et ex hac alterum illud, quod dixi, profluit illi debitum officium, ut, ductum ejus sequentes, obedientiam illius voluntati præstemus, talem ineundo vivendi rationem, ut ne donis illius indignos nos exhibeamus, aut eum prævaricando à nobis abigamus ipsi. Non requiescit ille, profectò, nisi super fidelibus: quamobrem cum Paulo, *2. Cor. XIII. 5.* Vos hortor: *Vos ipsos tentate, num sitis in fide: Vos ipsos probate. Aut annon cognoscitis, vos ipsos, quod Jesus Christus in vobis sit, (Spiritus gloriæ DEI super vobis requiescat) nisi reprobi estis.* Probabimus autem fidem nostram, opera nostra examinando, effectu de causâ suâ testante. Operum autem nostrorum, tam eorum, quæ à carne proficiuntur, quam, quæ Spiritus DEI, ceu primaria causa, in nobis operatur, & ab efficaci per charitatem fide *Gal. V. 6.* proveniunt, quasi speculum nobis exhibet *Gal. V. 19. - 23.* in quo quotidie vitam intueamur nostram, ac animadvertemus, quomodo comparata sint, ex quo statim colligendum, utrum Spiritus gloriæ & DEI super nobis requiescat, an minùs? *Nam qui carnales sunt, quæ carnis sunt, curant: qui verò spirituales, quæ Spiritus sunt. Rom. IIX. 5.* Verùm, & circa hoc non inopportunum, arbitror, judicandum erit, Apostoli *1. Cor. III. 18.* monitum in memoriam revocare, quando nobis acclamat: *Nemo seipsum decipito!* Clariùs, quid velim, ut edicam, non leviter & perfunctoriè hæc instituenda est operum nostrorum, eorumque fontis, exploratio, sed etiam hæc in re, sollicitam & in interiora cordis penetrantem adhi-

adhibeamus conscientiae discussionem, ut ne, quod! boni naturalis natura fortè in nobis operatur, gratiae Spiritus S. effectum, DEOque verè placens spirituale bonum reputemus. Qui verò verè spirituales intra se motus sentiunt, operam dent omnem, oportet, ne voluntariè peccando fide amissâ, Spiritum S. excutientes, è statu regenerationis & filiorum DEI elabantur. Cogitemus, quæso, frequenter Davidem, cujus pietatem in Scripturâ passim eximiè laudatam novimus, adeò quidem, ut eum *Virum juxta cor DEI*, 1. *Sam. XIII, 14. Act. XIII, 22.* vocare Spiritus S. non dubitaverit. Et tamen sanctus ille vir suo nos exemplo conducet, quam facilis sit in peccata proæretica, & ex gratia divinâ lapsus, ut gemebundus DEUM implorare habuerit: *Ne abjicias me à facie tuâ; & Spiritum sanctitatis tuæ ne auferas à me*, *Pf. LI, 13.* Quantò proinde major nobis, in deperdita hæc tempora reservatis, sollicitudo incumbit, quos Paulus *Phil. II, 12.* admonet: *Cum pavore & tremore vestram salutem operemini.* Quod autem cum in viribus nostris haud sit, quotidie, hortor svadeoque, | cum Davide *Pf. CXLIII, 10.* DEUM devote rogemus: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Tu DEUS meus: Spiritus tuus bonus ducat me in terra rectitudinis. Amen!*

P. P. Sub sigillo Reëtorali Academico,  
Fer. I, Pentecost, A, MDCCXXXVI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

P. P. Sub. Reilio. Reilio. Reilio. Reilio.  
P. P. Reilio. A. M. C. C. C. C. C.









adhibeamus conscientiae discussionem, ut ne, quo-  
turalis natura fortè in nobis operatur, gratiae Spiritus S.  
DEOque verè placens spirituale bonum reputem  
verò verè spirituales intra se motus sentiunt, opera-  
mnem, oportet, ne voluntariè peccando fide amissâ  
S. excutientes, è statu regenerationis & filiorum DI-  
tur. Cogitemus, quæso, frequenter Davidem, cuju-  
in Scripturâ passim eximiè laudatam novimus, adeo  
ut eum *Virum juxta cor DEI*, 1. *Sam. XIII. 14. Act. XI*  
care Spiritus S. non dubitaverit. Et tamen sanctus i-  
nos exemplo conducet, quam facilis sit in peccata  
& ex gratia divinâ lapsus, ut gemebundus DEUM  
habuerit: *Ne abjicias me à facie tuâ; & Spiritum sanctum*  
*auferas à me*, *Pf. LI. 13.* Quantò proinde major no-  
perdita hæc tempora reservatis, sollicitudo incumbit.  
lus *Phil. II. 12.* admonet: *Cum pavore & tremore vestri*  
*operemini.* Quod autem cum in viribus nostris haud  
die, hortor svadeoque, | cum Davide *Pf. CXLIII.*  
devote rogemus: *Doce me facere voluntatem tuam, quia*  
*meus: Spiritus tuus bonus ducat me in terra recti-*  
*tudinis. Amen!*

P. P. Sub sigillo Rectorali Academ  
Fer. I, Pentecost, A, MDCCXXX



the scale towards document